

sponte namque DEO dicuntur obsequi Psalm. CIII, 20. gaudere super conuersione hominum Luc. XV, 10. auere introspicere in mysteria salutis 1. Pet. I, 12. comprobant id porro eorum bonitas ac malitia moralis, obedientia ac inobedientia, praemia atque supplicia, quae omnia non nisi subiectis voluntate praeditis competere possunt, confer *B. Scherzer. System. Theolog. l. c. §. 7. p. 100. Petrus van Mastricht Theologia Theoretico-Practical. c. p. 341.*

Thes. XVIII.

Quemadmodum vero insignis Angelorum est scientia, ita etiam insigni eos potentia agendi atque virtute instructos esse, ex Scriptura S. certum est. Hanc quippe probant stupenda eorum opera in Scriptura S. descripta, possunt namque integros prostertere exercitus 2. Reg. XIX, 35. corpora de uno loco in alium transferre Act. VIII, 39. Unde etiam ob hanc eorum potentiam valentissimi audiunt robore Psalm. CIII, 20. Potentes 2. Thess. I, 7. Potestates Eph. VI, 12. conf. *B. Scherzer. System. Theol. l. c. p. 101.* Imo Viris conferuntur fortibus Ezech. IX, 2. Dan. VIII, 15. forti armato Matth. XII, 28. Luc. XI, 21. &c. Quae vero Angelorum potentia quantacunque etiam fuerit, finita tamen est, adeoque DEUM infinite plura posse, quam Angelos, dubitari nequit. Quare etiam fit, ut Angeli neque ex nihilo creare, neque substantias producere, neque miracula patrare et id genus alia, ad quae infinita requiritur potentia, producere valeant, modus enim essendi sequitur modum operandi. Fusius inter alios hanc tractauit quaestionem *Quensted. System. l. c. p. 468. seqq. add. etiam B. Calouius System. l. c. p. 28. Rudrauff. Institut. Metaphys. l. c. p. 945. seqq. B. Velthemius in Diss. supra cit. §. 25. p. 17. seq. M. D. Hollatz. Exam. Theol. Acroam. P. I. p. 560. quorum ergo breuitatis amore fit remissio.*

Thes. XIX.

Porro ex immaterialitate Angelorum sequitur, eos esse immortales atque incorruptibiles, sola namque materia est principi-

cipi-